



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Catalogus Episcoporum Hildesiensium**

**Letzner, Johannes**

**Hildesheim, [ca. 1690]**

IV. Alfridus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](#)

336. 12. Februarii, in templo S. Cæciliae, seu facello  
Aulæ Episcopalis apud Prædecessorem tumulatus.

III. EBB O prius Archi-Episcopus Remensis  
à Paschali Pontifice ad Evangelium in Septentrione  
prædicandum allegatus; cum S. Anschario Archi-  
Episcopo Hamburgensi & Bremensi, fidem Catholi-  
cam in Daniam, Sueciamque invehere allaboravit.  
Deinde S. Anschario agente, & Ludovico Imperatore  
annuente ad Insulam Hildesiensem promotus est.  
Obiit Anno Domini 847. 20. Martii Episcopatus sui  
duodecimo, apud Prædecessores suos in templo S.  
Cæciliae terræ mandatus.

IV. ALFRIDUS ex illustri Comitum de A-  
snede profapia oriundus, ob admirandam cum vitæ  
sanctimoniam conjunctam eruditionem & prudentiam  
ex Corbeia postulatus est in Episcopum Anno 851. A.D.  
852. Concilio Moguntino interfuit, & cum Ludolfo  
Saxoniæ Duce Parthenoni in Brunetheshusen initium  
dedit. Anno 860. bellum inter Carolum Franciæ, &  
Ludovicum Germaniæ Reges Fratres, Ludovici Pii  
filios feliciter composuit, arbiter & fœderis conser-  
vator electus. Anno 868. in Concilio Wormatiensi an-  
te omnes Episcopos eminuit. Anno 870. Carolum  
Franciæ Regem, qui per Lotharii Nepotis obitum  
Lotharingiam invaserat, autoritate suâ ad abceden-  
dum permovit. Aucto jam Fidelium numero, Cathe-  
drale templum, perystilium, aliaque ædificia à fun-  
damentis erecta absolvit, & præsentibus inter alios  
S. Remberto Archi-Episcopo Hamburgensi & Bre-  
mensi, Luithardo Paderbornensi, & Theodorico Min-  
densi Episcopis consecravit, Anno 872. In quibus Ca-  
noni-

nonici cū eximiopietatis fervore, & disciplinæ vi-  
gore, Religiosorum instar, summa cū laude vixere.  
Aliud præterea Monasterium Seligenstadii, & Colle-  
gium Virginum in Asnede, seu Essendiæ construxit  
ac fundavit. Tandemque plenus dierum, operum-  
que bonorum ad Superos abiit Anno 876. 15. Augu-  
sti: ejus corpus in templo SS. Cosmæ & Damiani ab  
ipso condito Essendiæ requiescit miraculis clarum.

V. MARQUARDUS Alfrido successit mirâ  
morum suavitate, animi candore, & pacis studio con-  
spicuus. Quarto & ultimo Episcopatus sui anno: cū  
Nortmanni & Dani Religionem à S. Anschario in re-  
gnum suum invectam exosi Saxoniæ incumberent  
certi cis & trans Albim omne Christianum nomen  
exscindere; Bruno & Tanquardus Saxonum Duces  
collegere subjectarum nationum vires, ut vel hostium  
furorem reprimerent, vel fidem DEO datam vitâ &  
sanguine consignarent. Convenerunt ad castra Mar-  
quardus Hildesiensis Episcopus & Theodoricus Min-  
densis Episc. Cum aliis primoribus & Capitaneis  
Saxonum: qui in loco Ebbeckstorff cum hoste con-  
greffi, generosè quidem ejus impetus diu retuderunt,  
sed multitudine tandem obruti, cum Brunone Duce  
internectione deleti sunt, & à Majoribus inter Marty-  
res recensiti. Hos inter & Marquardus gloriose oc-  
cubit Anno 880. 2. Februarii.

VI. WIGBERTUS Religionis studio, ver-  
bi Divini prædicatione, Sacramentorum administra-  
tione, infirmorum visitatione, animarum, corpo-  
rumque medicandorum peritiâ, librisque ea de re  
conscriptis clarissimus. Anno 887. Stephanus VI.

Pon-